



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 90. Quid possit circa celebrandam synodum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

nonicis, qui jurarunt desuper, electus dein in Episcopum, illud non diminutum exigere potest. *quest. 498.*

Quest. 87. Quid possit circa visitationem, & dandam licentiam monialibus egrediendi monasterio?

R Esp. Ad primum: Visitare potest, non tantum particularem ecclesiam, sed etiam totam diocesim simpliciter & indistinctè, sicut potest Episcopus, & quolibet anno durante vacatione per plures annos, non expectato triennio. *qu. 501.* Idque per Vicarium suum generalem, qui id poterit sine speciali ad hoc accepta à Capitulo commissione; aut etiam per specialem ad hoc munus visitandi deputatum visitatorem *qu. 502.* An verò Capitulum Sede vacante visitare possit exemptos, & maxime monasteria exempta monialium, controvertunt AA. utriusque sententiæ fautores & fundamenta retuli, *qu. 503.* pro affirmativa adducitur, quod, dum muneri episcopali aliquid jurisdictionis tanquam Sedis Apostolicæ Delegato in perpetuum committitur; ut deinceps ex officio Episcopi competat, ea potius sit jurisdictio ordinaria quam delegata, adeoque transeat ad Capitulum Sede vacante. Oppositæ sententiæ fundamentum est omnino contrarium, nempe quod in casibus, in quibus conceditur Episcopo (etiam in perpetuum) ut procedat tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, non sit facultas ordinaria, adeoque non transeat in Capitulum. De quo fundamento supra, ubi, quod Capitulum succedat in jurisdictione ordinaria. ex quo fundamento facile hi AA. solvunt adducta in contrarium.

2. Resp. ad secundum juxta jam relatas sententias oppositas, nimirum Capitulum Sede vacante non posse monialibus exemptis concedere licentiam egrediendi monasterio, si id ipsum possit Episcopus facultate purè seu tantum delegata sibi. Secus, si id spectet ad potestatem illius ordinariam, vide me. *qu. 504.* Dare autem posse Episcopum licentiam ingrediendi monasteria monialium (intellige ex causa rationabili) communius tenent AA. quia censent id spectare ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. *qu. 505.*

Quest. 88. An Capitulum dare possit licentiam novitiis, ut intra duos menses ante professionem disponere possint de bonis suis?

R Esp. Affirmativè, *qu. 506.*

Quest. 89. An Capitulum dare possit clerico licentiam transeundi ad alienam diocesim, dum fortè ibi adipsitur beneficium?

R Esp. De hoc controvertunt AA. negantes pro fundamento habent, quod Capitulum Sede vacante alienare nequeat bona & res ecclesiæ, adeoque multo minus personas. Probabilius id affirmantium fundamentum est, quod id spectet ad jurisdictionem Episcopi ordinariam, & talis translatio clerici non sit propriè alienatio rerum Episcopatus. vide *qu. 507.*

Quest. 90. Quid possit circa celebrandam Synodum?

R Esp. Synodum diocesanam à Capitulo Sede vacante cogi non debere, ubi Sedes diu vacatura non esset. Possit tamen illam cogi ob ingruentem necessitatem aliquam, quæ moram non pateretur, & cui aliter occurrere non posset; non tamen extra hos casus; cum cogere Synodum sit inter res valde arduas, & de consuetudine non nisi Prælatis ecclesiarum competentes, censent aliqui, aliis contrarium sententibus, nimirum Capitulum id posse simpliciter, non secus ac Episcopus; cum non minus sit de lege ordinariæ jurisdictionis annuatim cogere Synodum quam visitare. vide *qu. 508.*

Quest. 91. Quid possit circa dandam Commissionem extraneo Episcopo exercendi Pontificalia, & dandas dimissorias?

R Esp. Ad primum: De hoc dixisse me. *qu. 509.* nimirum, quod possit id committere alicui Episcopo in diocesi vacante commoranti, aut aliunde ad hoc invitato seu accersito. Quod ipsum poterit circa ulteriorem & specificam commissionem seu mandatum Capituli Vicarius ejusdem, si est Episcopus. Potest item, etiam intra primum annum vacantiae, tali Episcopo dare licentiam in diocesi ecclesiæ vacantis ordinandi extraneos habentes dimissorias à suo proprio Episcopo vel Prælato regulari. Item ordinandi subditos suos, etiam non arctatos, habentes dimissorias à defuncto Episcopo vel Papa, vel Nuncio (qui eas etiam intra primum annum vacantiae dare potest) neque enim id prohibetur Capitulo à Tridentino aut alibi, sed solum, ne ipsum Capitulum det non arctato dimissorias intra primum annum vacantiae, in vim quarum ordinari valeat ab alio Episcopo, de quo paulò post. Neque etiam prohibet Trident. ordinari subditos talis diocesis non arctatos, non egentes dimissorias, aut iis jam aliunde instructos. Uti etiam potest Capitulum habenti facultatem à Sede Apostolica suscipiendi ordinem cum licentia ordinarii hanc licentiam intra annum primum vacantiae concedere. Potest quoque licentiam exercendi pontificalia & conferendi Ordines datam alicui Antistiti ab Episcopo defuncto revocare, non secus, ac removet Vicarium generalem ab Episcopo defuncto constitutum. Id tamen facere nequiret, ubi talis Episcopus titularis ad hoc datus fuisset ob Episcopi minorem ætatem vel non consecrationem. uti nec removere illum aut impedire, ubi is datus à Metropolitano in casu, quo is illum dare potuit. Et ubi Capitulum illam licentiam non revocavit, potest talis Episcopus titularis, etiam assumptus à defuncto Episcopo ad hoc, legitimè & absolute pergere conferre ordines subditis non arctatis intra primum annum vacantiae, sicut faciebat prius vivente Episcopo; cum ad summum prohibetur tantum Capitulo, ne facultatem illum ordinandi prius non habitam à tali Episcopo ei concedat pro primo anno vacantiae.

2. Resp. Ad Secundum: Dare potest intra primum annum subdito suo non arctato, habenti aliunde dimissorias literas testimoniales de vita, moribus, & idoneitate in ordine ad suscipiendos Ordines, quæ longè quid diversum sunt à dimissoriis. *qu. 511.* potest etiam, ut videre est apud me, *qu. 412.* quar-